

requætia et familiaritate ylesceret regia majestas, neque enim nisi regis jussu, et nisi per pronuntium alloqui eos licebat, teste Herodoto, l. I. et patet ex libro Esther, c. IV. Cæterum hic successus moderatus esse debet, et fastu carere: *Miscenda sunt ista, inquit Seneca l. de tranq. et alternanda solitudo et frequentia.* Quod non erat in Persarum regibus, qui pene semper ab hominum conspectu remoti hortis tantum et nemoribus excolendis ac deliciis vacabant, uti narrat ex Xenophonte Cicero de senect.

VI. Cum est obligatus subditis, sive propinquitate sanguinis, sive ære alieno, sive alia quadam servitute. Hæc causa est, cur ut plurimum potentes eligantur in magistratum, consules, judices, etc. quia hi cæteris superiores minus obligantur subditis. Ita suasit Iethro ille genero suo Moysi, Exodi XVIII. *Provide de omni plebe viros potentes et timentes Deum, etc. Potentes, inquit, qui videlicet non metuant, sed compescere possint subditos, nulla ratione iis subjecti vel addicti: timentes Deum, qui neminem plus quam Deum timeant.* Decet enim judicem ac rectorem usquequaque liberum et nullis compedibus constrictum esse, ut sine obstaculo vias juris omnes percurrere queat, uti etiam monet Ecclesiast. c. VII. dicens: *Noli querere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates: ne forte extimescas faciem potentis, et ponas scandalum in æquitate tua.* Quis metueret judicem, si quis eum domi suæ inclusum, et in sua potestate haberet? Quomodo non iudex metueret potius illum, a quo coercetur? Hujusmodi judices habuit Cambyzes Persarum rex, qui cum insano sororis teneretur desiderio, percontatus est regios judices (sibi subjectos) num qua lex concedat sororem ducere in uxorem? Judices responderunt, nullam quidem se invenire legem quæ hoc concedat fratri: quamdam tamen se invenire, qua liceat regi Persarum facere, quidquid ei libet, Herod. lib. III. Non ita Trajanus imperator, qui cum tribunum militum vel præfectum urbis et prætorii renuntiasset, strictum ensen, in conspectu omnium, in manus ejus dedit, dicens: *Cape ferrum hoc, et siquidem recte imperium gesseris, pro me, sin aliter, contra me utere,* Tymp. in spec. mag. fig. XCIII. Non ita Antigonus, qui a Marsya fratre litem habente rogatus ut causa clam cognosceretur, negavit dicens: *Si injustam causam habere te scis, cur litigas? Si justam, cur fugis hominum conscientiam, et ad domesticos lares causam fore pertrahis?* Plut. in apoth. Super omnia vero memorabile et stupendum est, quod egit Otho III. imperator in hoc genere, qui propriam uxorem Aragonum regis filiam, quod rea esset necis comitis ejusdam innocentissimi, publice

cremandam judicavit. «Cum enim femina proeax oculos in dictum comitem conjecisset, atque a viro castissimo passa esset repulsam, illum de attentata pudicitia calumniose accusavit apud imp. qui temere uxori credens, comitem morte damnavit. Quem cum capite truncatum audivisset ipsius uxori, magna audacia, quam dolor nescius pectoris expressit. Othonem convenit pro tribunali sedentem, clamans de nece justissimi viri vindictam, projectoque capite viri in medium, ipsum imperatorem reum innocentissimi sanguinis apud ipsum jura reddentem accusat. Probationem per contactum ferri candentis veritatis indicem, offert. Consentit ille, paratur ignis, ferrum candens exhibetur. Mulier conscia innocentie viri sui, arripit illud illæsa, contractat inusta, quin stringit, ut flores, ignitum metallum. Qua ex re exuruntur præcordia ipsius imperatoris, cui tunc insultans victrix femina, vindictam in imperatorem a gladio exigit imperantis. Fatetur ille culpam, nec refugit pœnam, spondens jugulum, sed poscit inducias. Interim proceres accurrunt, pro vita imperatoris feminam exorant, sed frustra diu laboratum: tandem ea conditione transactum est, ut auctrix sceleris Augusta flammis comburenda daretur. Quod e vestigio factum;» Cranz. IV. Saxon. c. XVI. et ex eo Gabr. Biseiola, in epit. Baron. anno 998.

VII. Cum reipublicæ est inutilis, id quod multis ex causis accidere potest. Primo, cum est rudis et illiteratus. Tametsi enim prudentia politica sufficere videtur ad multa magistratus munia, nisi tamen conjuncta sit eruditione litterarum, ab eruditis saltem spernitur, et multoties eluditur regiminis potestas. Hinc enim Franciscus I. Gallie rex, necnon Alphonsus Aragoniæ, (severa satis censura) dicere solebant: *Regem illitteratum esse asinum coronatum,* apud Tymp. in spec. sig. LII. Laudandus fuit L. Torquatus, qui jam tertius consul Romanorum omnium consensu renuntiatus, valetudinem oculorum excusavit, indignum esse inquam, rempublicam et fortunas civium ei committi, qui alienis oculis uti cogeretur, Liv. l. XXVI. Quid autem aliud facere coguntur rectores ineruditi? Nonne aliorum consiliis stare, adeoque alienis oculis uti necesse habent?

Secundo, cum iners et otiosus publice negligit, qualis Domitianus qui nihil magis quam muscas domi capere, certo horarum penso, et stylo peracuto configere solebat, factus proinde fabula et ludibrium subditorum dicentium, neminem cum imperatore esse, *ne muscam quidem,* uti alibi dictum.

Tertio, cum addictus vino, et vix unquam sobrius, quo nomine inter alios populo exosus

ab eoque explosus fuit Phocas imperator, ut cum ebrii cerneret, dicere ei non dubitaret: *Rursus o saneo* (poculi genus est, a sono quem edit effluente vino simul et aere) *bibisti, rursus mentem amisisti.* Ob id etiam ad extremum misere interfectus est, Glycas IV. p. annalium Byzant.

Quarto, cum nimis avarus et sordidus, premeas exactionibus subditos. Hinc enim exasperantur ejusque tyrannidem execrantur subditi ac maledicunt ei. Qua de re Henricus III. Castellæ rex dicebat: *Iras et cæcrationes populorum magis reformido, quam arma hostium.* Pulchrè hoc ostendit Franciscus Marcio jurisconsultus egregius, qui (ut scribit Justinianus Genuensis historiographus, lib. VI.) missus a republica Genuensi orator ad ducem Mediolanensem, cum is nollet eum dimittere, nec pactis conventis cum Genuensibus stare, captata occasione obtulit eidem duci manipulum herbæ ocymi: qui admirandus, qui hoc donum sibi vellet, quæsit quid rei esset? Respondit ille, talem esse hujusmodi plantæ naturam, ut leniter ac suaviter contractata gratum odorem spiraret: nimis autem duriter compressa, et attrita non solum omnem suavitatem perderet, sed etiam procedente tempore scorpios generaret: habere autem se ingenia Genuensium eodem planè modo. Dux hoc ingenioso admodum responso delectatus, et sententiam priorem mutavit, et legatum honorifice dimisit, Pontan. III. p. Att. Bell.

VIII. Cum suam ipse auctoritatem et dignitatem non tuetur adversus obtractatores. Nam ut S. August. ait: *Dum nimia servatur humilitas, regendi frangitur auctoritas.* Refertur in cap. quando d. LXXXVI. et Callieratès, c. XIX. de off. præf. *Ex conversatione æquali contemptio dignitatis.* Recte et laudabiliter observavit hoc Leontius Tripolis in Lydia episcopum, qui advertens Eusebii Constantii imperatoris uxorem ab episcopis quibusdam plus æquo honorari, ac tantum non adorari, solus eam irrationabilem demissionem aspernatus, ad eam accedere renuit. Vocatus a regina superbia inflata non sine factis pollicitationibus, hoc responsi dedit: «Si me ad te venire volueris, debita episcopis reverentia conservata, ut ego quidem ingrediar, tu autem statim de sublimi isto solio descendens, reverenter mihi obviam procedens, et caput meis manibus supponas, benedictionem acceptura: ac deinde ego sedeam, tu verecunde adstes, cum jussero signa dato sessura. Si hæc inquam tibi conditiones placuerint, veniam ad te; sin alio modo, non tam multa dabis, tam magna non poteris, ut nos honore episcopis conveniente neglecto, divinum sacerdotii

institutum violemus.» Quo responso exarsit insana mulier cum multa quoque bile marito rem exposuit; qui tamen ingenium Leonii animam laudans, uxorem facessere et in gynæceum abire jussit. Refert Suidas, in hist. p. DXXVI. in Leontio. Jure merito etiam hic memorandus quod ad conservandam auctoritatem suam fecit Gabius Grimanus, præfecturam reip. Venetorum nomine administrans Patavii. «Ego studiosi aliqui (loco ab academia celebri) hominem pannosum et famelicum, decem scutatis conductum, subornarunt, ut dicto præfecto e templo exeunti occurreret, cum osculo manibus impresso, salutaret, ac tandem fratrem appellaret. Hac salutatione et verbis nihil omnino commotus Grimanus, comiter tandem resalutat, et secum in prætorium ducit: ubi intellecta totius rei serie, portas urbis statim obserari jubet, et studiosos omnes, quorum consensus ad hanc rem intervenerat, ad se vocat. Cum illi comparuissent, sereno vultu ait, ipsorum comitate et diligentia sibi hodie fratrem repertum, sed adeo egenum et nudum, ut ad eum, uti fratre dignum sit, ornandum non paucis nummis opus habet. Velle igitur, ut quandoquidem ipsi in fratre reperiendo non levem adhibuerint diligentiam, jam quoque in eo exornando parit utantur liberalitate ac singuli certam pecuniæ summam statim dependant. Excusare illi, et deprecari, obsecrare denique, ut quod joco et juvenili lascivia commissum esset indulgere. At ille prætere, opus esse fratri veste et sumptu. Nec prius abeundi illis copia facta est, quam centenos scutatos nudo illi singuli numerassent.» Refert Tymp. in spec. magistr. sig. LII. p. II. Ad extremum igitur viderit quisquis ad gubernacula sedet, ne culpa sua in contemptum et ludibrium subditorum incidat. Exhibeat se pastorem verum non alienum, si vult oves suas non videre a se alienas.

CONCIO IV.

DÆMONES CUR IN MUNDO.

- I. Ad Dei gloriam et dæmonis confusionem. — II. Ad profectum nostrum. — III. Ad meritum et coronam justorum. — IV. Ad correptionem malorum.

THEMA.

Fur non venit nisi ut furetur et mactet et perdat.
Joann. X.

Quam cordatus pastor fuerit David, dum pasceret oves patris sui, ipsemet coram Saul effatus est, cum ad Saul regem dixit, I. Reg. XVII. *Pascebat servus tuus patris sui gregem, et veniebat leo vel ursus et tollebat arietem de medio*

gregis, et persequabar eos et percutiebam eruebamque de ore eorum, et illi consurgebant adversum me, et apprehendebam mentum eorum et suffocabam interficiebamque eos. Nam et leonem et ursum interfeci ego servus tuus. Hujusmodi pastor et Christus fuit, qui ex ore dæmonis velut leonis, et ex ore mortis velut ursi (qui in prostratum sævit) eruit oves suas, animas nostras. Sed quamobrem, auditores, non omnino interfecit leonem illum et ursum: cur dæmones magna saltem ex parte super terram reliquit et grassari in homines permittit: mortem cur non sustulerit, alibi intelleximus. Nunc videndum superest, cur reliquerit dæmones.

I. Reliquit, ad Dei gloriam, ut in hominis infirmitate potentia Dei ostenderetur, et ad dæmonis confusionem ut ab inferiore se, homine, vinceretur. Dicebat superbissimus ille spiritus: *In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum*, Isa. XIV. Idcirco merito ita depressus est, ut homines ipso longe inferiores de eo triumphare eique illudere possunt. Hoc sensu exponit S. August. XI. de civit. c. XV. Chrysost. Theodoretus et alii id Psalm. CIII. *Draco iste quem formasti ad illudendum ei*, scilicet ab hominibus. *Ab iis enim illuditur*, ait S. Hieron. in similem locum Job XL. *quoniam per gratiam Sancti Spiritus et meritum sanctitatis eis subditur et invocato nomine Christi effugatur*. Sic illudit ei inter alios S. Hilarion, qui enormis magnitudinis camelo a dæmone agitato planeque furioso, ad se adducto plusquam a triginta viris, demissoque omnibus fugientibus dixit Syro sermone: *Non me terres, diabole, tanta mole corporis: et in vulpecula et in camelo unus atque idem es*. Moxque pulso, dæmone bestiam reddidit mansuetam. Eidem dæmoni virginem obsidenti ac clamanti coram eo: *O cruces, o tormenta, quæ fatior? Exire me cogis et ligatus subter limen teneor*, illudit dicens: *Grandis fortitudo tua, qui licio et lamina strictus teneris*, refert S. Hieronymus, in vita S. Hilarion. Quemadmodum ergo Deus superbo et jactabundo gigante Goliatho non opposuit gigante majorem, sed Davidem statura parvum et juvenem pastoritiæ potius artis quam militiæ expertum, qui cum a Goliatho despiceretur et rideretur, dicente: *Num se canem existimaret?* eundem vice et versa derisit, dicens: *Imo cane viliozem*, uti scribit Josephus et habent Septuaginta interp. Quare sicut Goliath mire confusus fuit, cum in terram dejectus, vidit stare supra se juvenem imbellem sibi que amputare caput: ita modo confunditur dæmon, cum ab hominibus despicitur, dejicitur et quodammodo jugulatur. Hoc enim in pœnam ejus decrevit Deus, cum dixit Genes. III. *Inimicitias ponam inter te et mulie-*

rem, et semen tuum, et semen illius ipsum conteret caput tuum. Vergit hoc e contra ad maximam Dei gloriam, si tam superbum, potenter et versutum hostem sternat per infirmum militem suum. Hinc cum Satan a Deo interrogatus in libro Job, c. I. *Unde venis?* superbe respondisset: *Circuivi terram et perambulavi eam*, mox Deus retundere volens ejus superbiam, dixit: *Numquid considerasti servum meum Job*, quasi eum provocans ad duellum cum hoc milite committendum, ut ab eo superatus ludibrium fieret angelis et hominibus; quemadmodum et factus est, ideoque ei postea rursus dixit Deus: *Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis, etc. et adhuc retinens innocentiam suam?* Job II. *Exultat enim Deus*, inquit S. Hieron. in eum locum, *in victoria famuli sui, et illius patientiam suam dicit triumphum*. Nec dubium, quin in cælo festiva gaudia fiant omnisque cæli curia exultet, cum homo diabolum ob superbiam toti cælo exosum, superat; quod indicat dito I. c. Job pharaphrastes Chaldæus qui ita legit: *Venit dies magni judicii et astiterunt angeli, etc.* Dies hic non erat alius, quam quo Job ulceribus plenus de dæmone triumphavit. Idem fecit Deus per servum suum Antonium, ut in ejus vita docet S. Athanasius; siquidem integras dæmonum acies per hunc unum juvenem fudit et confudit. Ex quibus intelligimus Deum quodammodo posuisse honorem suum in manibus nostris, sicuti gloriam populi sui posuerat in manu Davidis. Quis ergo non strenue et alacriter pugnet in hunc hostem, ut ejus dejectione Dei gloriam amplifiet et curiam lætificet? Maxima principum recreatio est videre ab exiguo falcone dejici ex aere grandes aves, ciconias, ardeas, etc. multo major Deo et angelis lætitia est, cum ab homine mortali, humili, exiguo dejici et prosterni vident dæmonem superbum, qui omne sublime videt, omnes artes et dolos callet, omnia penetrat, omnia alioquin frangit, etc.

II. Ad profectum nostrum. Primo, ut compellamur perpetuo ad Deum recurrere, et nunquam ab ejus latere discedamus: quod sequenti similitudine explicat S. Chrysost. I. I. de provid. et orat. « Videbis matres, ut parvulos secum adhærentes retineant, larvas agere aut phantasmata quædam repræsentare; et tempore quo civitates larvis replentur, pueri a matrum lateribus non discedunt, semper attendentes, necessarium sibi esse matris præsidium, si hac vel illac larvæ occurrant. Propterea Deus mundum dæmonibus quasi larvis replevit, qui phantasmata agant, ut nunquam ab ejus latere separemur; et timentes eos ubique posse nobis occurrere, ubi nobis esse necessarium divinum patrociniū intelligamus. »

Secundo, ut cautius ambulemus, attendentes undique nos circumseptos esse hostibus. Certe si quissciet civitatem in qua habitat, repletam hostibus crudelissimis sibi que infensissimis, qui omnes vias occupent et plateas, omniaque loca ingredi possint; nonne summa vigilantia sibi prospiceret, pedem nisi armatus non efferret, imo domitiam hostem semper expectare ejusque incursus præveniret? Hinc I. Petri. V. mone-mur: *Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret*. Sobrietas, noster gladius est, nunquam seponendus.

Tertio, ut fortius progrediamur in virtutum stadio; quando enim infestamur a dæmone, excitamus nosmetipsos ad resistendum per contrarios virtutum actus et resumimus vires ac fervorem. Unde apost. II. Cor. XII. *Angelum Satanæ vocavit stimulum carnis suæ*. Ut enim stimulus citra noxam et vulnus pecus propellit: ita adversarius noster diabolus absque nocu-mento progredi in virtutis via facit. Canis est lanionis, qui continuis latratibus pecudem insequitur et urget ad progressum; tametsi hoc diabolus minime intendit. Similis est Pharaon, qui dum filios Israel occidere paravit, impulit ad ingrediendum maris rubri transitum et ita ad terram promissam pergere compulit. Impellit peccatores in peccata gravissima; sed illi ex hoc ipso graviore suolapsu sæpe emendatur, et impelluntur ad penitentiam, sicque ejus laqueos omnino evadunt, alioquin non evasuri: justos vero dum infestat et tentat, hirundinis instar noxium ab illis sanguinem extrahit. Intendit quidem dæmon totum illis, si posset, sanguinem exsugere; sed celestis medicus ita ejus ingluviem temperat, ut nonnisi noxium humorem detrahat.

III. Ad meritum et coronam honorum. Nam ut ait S. Leo papa, ep. XXXVI. *Dæmoni ob hoc aliquid audere permittitur, ut a fidelibus Christi gloria majore vincatur*. Multorum probabilis valde sententia est, unicuique homini destinatum esse a Lucifero angelum malum, qui sedulo ei adhæreat eumque impugnet, quomodo unicuique Deus attribuit angelum bonum in custodiam. Quæ fuit sententia Origenis et nonnullorum veterum, S. Thomæ, in II. dist. XI. q. art. V. Cassiani, coll. VIII. c. XVII. Greg. Nysseni, I. de vita Moysis. Et confirmatur, quia dæmon est simia Dei, et quia hic est modus et ordo competens nocendi hominibus, quod ille maxime quærit. Colligitur ex Zach. c. III. ubi dicitur Satan stetit a dextris Jesu sacerdotis ut adversaretur ei. Quin et Plutarchus gentilis scribit de Bruto, quod cum noctu legeret ad lucernam, conspexerit quemdam et dixerit ei: *Tu quis es?* Cui ille:

TOME III. — PARS ÆSTIVALIS.

Tuus malus genius; in Philippis me videbis. Permittit vero hoc Deus ad majus meritum et gloriam nostram, si suum quisque antagonistam strenue oppugnarit ac vicerit; longe enim honorificentius est obtinere spolia ab hoste devicto, quam ex mera ducis liberalitate. Censet vero Origenes, ho. I. in lib. Josue quemvis hominem victorem obtinere vel obtenturum illam coronam et sedem in cælo, quæ dæmoni ejus impugnatore parata erat in cælo. Fuerunt enim illi angeli aliquando in cælo empyreo et in eo magnifici, tametsi nondum beati; quorum uni dixit Isaias, c. XIV. *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer?* « Sine dubio, qui de cælo cecidit, sedem, (inquit Origenes,) in cælo habebat. Postquam vero factus est angelus refuga, si eum vincere potuero et subicere pedibus meis, si meruero ut Dominus meus Jesus conterat Satanam sub pedibus meis, consequenter locum Luciferi habere merebor in cælis. » Figuratum hoc videtur in eo quod dicitur a Deo ad Hebræos, Jos. I. *Omne locum quem calcaverit vestigium pedis vestri, vobis tradam*. Ut ergo Israelitis cedebant terræ illæ et nationes Chananæorum, Pherezæorum, Jebusæorum et aliorum in terra promissionis constitutorum, quas armorum vi subegissent, ita unicuique fidei cedet locus et sedet illius angelus in cælo, quem is occupaturus erat, nisi cecidisset. Unde quo fortiores, altiores, et excellentioris naturæ dæmones quis superavit, eo altiores sibi in cælo sedem parabit. Consonat huic doctrinæ, quod in vita S. Francisci scribit S. Bonavent. c. VI. quemdam ex ejus fratribus in templo orantem vidisse per extasin sedes in cælo sanctorum plurimas, inter alias vero unam altiore et præstantiorem pretiosissimis adornatam gemmis. Qui cum per orationem indagaret, cujusnam illa esset, responsum est fuisse unius ex præcipuis angelis de cælo lapsis, nunc vero eam paratam esse humili Francisco, qui profundissima humilitate ingentem illius superbiam vincebat. Non igitur ad perniciem, sed potius ad honorem nostrum dimissi in mundo dæmones, qui quo magis nos oppugnant, eo majorem gloriæ parandæ occasionem præbent; et felix est, de quo dici potest id Sap. X. *Certamen forte dedit illi ut vinceret*. Hinc bene Isa. LIV. dæmon vocatur *faber*: *Ego creavi fabrum sufflantem in igne prunas*. Tametsi enim suis suggestionibus sufflat et excitat in nobis ignem concupiscentiæ, tamen interim si ei resistatur, coronas nobis fabricat in cælis. Sic lapides, quos manibus Judæorum projecit in S. Stephanum, fabrefacii et mutati sunt martyri in gemmas et coronam.

IV. Ad correptionem malorum. Quemadmodum enim in omni rep. debent esse ministri

justitiæ, lictores et carnifices, illi ut in carcere, hi ut in loco supplicii reos torqueant et coercent; ita et in republica mundi, ubi alios quidem dæmones reliquit Deus in aere caliginoso super terram, velut lictores, alios detrusit in infernum velut carnifices, ut torquerent ibi damnatos. Unde Matth. XVIII. legimus servum nequam traditum esse *tortoribus*: et Apoc. II. scribit Joannes: *Ecce missurus est diabolus aliquos ex nobis in carcerem, ut tentemini*. Scimus e libro Tobie, c. III. septem impudicos Saræ maritos occisos ab Asmodæo: a quo eodem occisum esse nequam Her ob peccatum mollietie, Gen. XXXVIII. sentiunt communiter: et 1. Reg. XVI. dæmon qui exagitabat Saulem, vocatur *spiritus Domini malus*. Quomodo spiritus Domini, si malus? Quia scilicet Dei minister et lictor erat, torquens impium Saulem. Utiles igitur et necessarii sunt mundo dæmones. Nam primo, sicut lictores et carnifices incarcerant et torquent fontes; ita etiam dæmones. Nemo innocens curat aut metuit ministros illos, quia noxios tantum apprehendunt: ita etiam non est, cur metuamus dæmones, si conscientia nos defendat. Audi Jobum, c. XL. dicentem: *Ecce behemoth quem feci tecum, fœnum sicut bos comedit*. Nomine behemoth dæmon intelligitur. Sed quos iste comedit? Qui carnales sunt et fœnum, juxta id Isa. XL. *Omnis caro fœnum*. Fecit eum nobiscum Deus, id est, concessit ut nobiscum in mundo maneret, sed non nisi in rebus fluxis et temporalibus læderet ad majus ipsorum bonum. Corvi sunt dæmones, ad hoc destinati ut cadavera tantummodo foras projecta devorent. Serpentes sunt, quibus dicitur: *Serpenti panis pulvis ejus*, Isa. LXV. et Gen. III. *Terram comedes*, id est, terrenos, cunctis diebus vitæ tuæ.

Secundo, sicut lictores neminem apprehendunt, in carcerem abducunt, vel torquent, nisi ex imperio magistratus; ita etiam dæmones nemini nocere possunt, nisi ex imperio et concessione Dei, cum eo limite, quem Deus eis præscribit. Quemadmodum patuit, cum facultatem dæmon petiit aggradiendi S. Job ostendens se habere ligatas manus: *Extende, inquit, paululum manum tuam, q. d. manu tua meam comprimis, laxa manum tuam ut mea illum aggradi queat*. Concessit illi hoc Deus, sed limitate ut animæ ejus parceret. Ex quo colligit S. August. præfat. enarrat. II. in Psal. XXIX. dæmonis voluntatem semper esse malam, potestatem vero semper esse bonam, quia a Deo concessa: et S. Gregorius, lib. II. moral. cap. VI. ait diabolum semper quidem appetere justos, sed hoc non posse, nisi quos et quousque permittit Deus. *Quare*, addit idem

sanctus, *formidari non debet, qui nihil nisi permissus valet: ille autem est timendus et honorandus eidemque serviendum, cujus est potestas et cui dæmon ipse pareat, etc.* Si esse prope te ingens aliquis ac ferox gigas cum gladio vaginæ incluso, et ex altera parte magnus aliquis tuus amicus gigante illo fortior et potentior, tui brachium ejus confineret, ne gladium evaginare et semovere loco posset; non esset certe cur gigantes timeres, sed operam dares ut potentis adeo amici gratiam conservares. Talis est igitur ferocis illius behemoth potestas, de quo dicto, c. XL. Job dicitur, quod sit: *Principium viarum Dei et qui fecit eum, applicabit gladium ejus, q. d. non nisi per creatoris licentiam evaginare gladium potest*. Canis instar est dæmon, præ macello stantis, et inutiles carnis bolos a lanione sibi projectos expectantis. Rogandus ergo solum Deus: *Ne projecias me a facie tua: et: Ne tradas bestiis animas constantes tibi*.

Tertio, sicut lictores neminem faciunt, sed ostendunt tantum reum esse vel non reum, dum quæstionibus exagitant et ponderibus appensis distrahunt seu librant, ut vulgo vocamus. Sic etiam dæmones, licet homines tentent, non tamen hoc ipso malos faciunt, sed malos esse ostendunt, si illi succubuerint, vel bonos, si non succubuerint. *Tentatio*, inquit Thomas de Kempis, *non efficit hominem improbum, sed qualis sit ostendit*. Certe S. Hieron. in Psal. CIX. diabolum vocat quæstionarium, idque deducit ex verbis apostoli 1. ad Timoth. dicentis: *Quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare*. Ergo diabolus, inquit, *quasi quæstionarius Domini est: qui enim non recte ambulant, traduntur diabolo, ut ab ipso cruciati ad Deum convertantur*. Exagitando eos suis tentationibus ostendit, huius supra petram ædificati sint, an vero super arenam. Scimus ex evangelio Matth. VII. domum supra petram extractam tempestati minime cecidisse; cecidisse vero eam quæ supra arenam structa erat. Ex quo, ut Cassianus, coll. XVIII. cap. XIII. ait, satis apparet, donum aut consentiam stulti non corrumpisse, quod tentationum tempestate esset concussa (siquidem domus sapientis eisdem concussa non corruit) sed quod fundamenta illius domus non essent firma, nimirum arena. Sapiens ergo non succumbit tentationibus, quia in virtutibus bene fundatus est: stultus succumbit, quia male fundatus, adeoque domum cordis sui ruinosa et vitiosam habet. Verbi gratia, domus Cain corruit ab invidia oppugnata, quia ejus fundamentum erat inane quoddam desiderium honoris, quo cupiebat a Deo affici, si ostenderet Deus gratum sibi fuisse ejus sacrificium: Abelis tamen domus firma permansit, quia ejus fundamentum

erat pura et simplex intentio Deo placendi, eique offerendi optimum et pretiosissimum quod habeat. Esau domus cecidit, quia innitebatur fundamento carneo et amoris proprio; cui ut indulgeret, vendidit primogenituram: Jacob autem fratris ejus domus firma permansit, eo quod inniteretur fiduciæ in Deum, ad quem in omnibus suis calamitatibus per orationem confugebat. Perit domus et regnum Saulis, eo quod proprio judicio et voluntati tota inniteretur, contemnens et quasi conculcans obedientiam Deo debitam, prætextu et pallio quodam offerendi, ex proprio judicio, eidem sacrificium; domus vero et regnum Davidis firmum permansit, quia ejus fundamentum erat cor ipsius Dei cordi, ejusque voluntati valde conforme, quam certo statuerat in suis omnibus rebus adimplere. Pharisei ædificium a ventis fuit dissipatum; eo quod vanitatis vento inniteretur: Publicani vero domus stetit firma, quia ejus fundamentum fuit vera humilitas et cognitio sui. Fluctus dolorum et tribulationum non poterunt dejicere domum boni latronis in cruce; quia illam fundavit in cognitione suorum peccatorum, et quod esset dignus tolli supplicio: at alteram impii latronis domum funditus subverterunt; eo quod in obstinata sua voluntate pertinax consisterit. Itaque faciunt dæmones suis tentationibus ut seipsos noscant homines, indeque fit ut sæpe improbi pudore confusi respiciant et penitentiam agant, quam nunquam egissent, nisi tentati fuissent, quemadmodum et rei post quæstiones et torturas redeunt ad cor et per publicam penitentiam evadunt plerumque gehennam. Laudandus itaque Deus, quod hujusmodi ministros republicæ suæ providerit, etc.

CONCIO V.

FORAMINA, PER QUÆ HERESIS IRREPSIT IN GERMANIAM.

I. Dissoluta clericorum vita. — II. Ruditas et inscientia pastorum. — III. Prælatorum oscitantia. — IV. Principum conviventia. — V. Morum corruptio.

THEMA.

Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro. Joan. X. Fures et latrones esse hæresiarchas nostri temporis, ex hodierno evangelio manifeste intelligimus. Si enim apostoli Christi sunt, ostendant per quod ostium intraverint in Ecclesiam. Non aperuit illis summus ille et generalis ostiarius, Spiritus sanctus; quia per miracula et vite sanctimoniam demonstrare debent se immediate ab eo missos esse: non aperuit illis summus pontifex Christi in terris vicarius, quia

potius damnavit eos et ferit anathemate: non aperuere episcopi orthodoxi, quia contra lupos istos strenue protestati sunt et magnis vocibus reclamaverunt: cæteri fideles aperire non poterunt, quia non sunt ostiarii, nec illorum est admittere in Ecclesiam doctores et pastores. Unde ergo tandem irreperunt in Ecclesiam? Utique per foramina, per quæ intrare fures solent, uti in hodierno evangelio audivimus. Porro indagemus hæc foramina, quo mirari desinamus.

I. Foramem primum fuit dissoluta clericorum vita in priore illo sæculo, quo hæreses exortæ sunt. Negari enim non potest fuisse tunc in clero gravia et intolerabilia vitia, avaritiam et quæstum turpem ac sacrilegum, libidinem et gulam; disciplinam etiam regularem magna ex parte collapsam, et a pristino fervore relaxatam. Quemadmodum enim senectus homini deformitatem affert, nec ullum tam bene compositum est corpus, aut ædificium tam coagmentatum, quod non vetustate corrumpatur, ita nulla est disciplina etiam in domo Dei, quæ temporis progressu non contrahat labem aliquam et a pristina degeneret integritate. Ita enim natura comparati sumus, ut quo leges sunt antiquiores, eo frigidius eas servemus, et in transgressionem propiores simus. Differt in hoc natura ab alchimis-tarum arte. Hi enim pulveris cujusdam, quem fermentum appellant philosophicum, injectione ferrum in cuprum, cuprum in argentum, argentum in aurum, adeoque semper deterius in melius et nobilius metallum transmutare norunt; contrarium experimur in natura et religione, quæ paulatim remittit vigorem et ex auro in argentum, ex hoc in cuprum, e cupro in ferrum degenerat; uti canit etiam Horatius:

Damnosa quid non imminuit dies?
Ætas parentum pejor avis tulit
Nos nequiores: mox datura
Progeniem vitiosiorum.

Imprimis vero monastica vita, aut optimos generat viros, si constiterit in vigore; aut pessimos, si fuerit dissoluta. Unde quod de Atheniensibus dixit Plutarchus, in vita Dionis, eos aut esse optimos aut pessimos, et de Attica, eam gignere sicut præstantissimum mel, ita et exitiale venenum; idem de monasticæ vitæ cultoribus dicendum esse videtur. Et sicut Jeremias in duobus calathis sibi a Deo ostensis deprehendit duplices ficus admodum diversas, in uno valde bonas (populum qui in captivitate Babylonicam abductus fuera); in altero valde malas (populum qui manserat Hierosolymis): ita in monasteriis aut deprehenduntur valde boni, qui regulam observant, aut valde mali